



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni
Bredenbachij S. Th. D.||**

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

6. De quodam Hebræo, qui sub diuinis mysterijs per S. Basilium celebratis, vidit Episcopum infantem partiri: quo miraculo conuersus.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

ram vtriusque capacem ostendisse, deditq; in eiusdem arcis non exiguo circa locum ædificanda Ecclesiæ. Ferunt proinde nomen Ecclesiæ prouenisse, quod meum & tuum, quasi communis duorum possessio, sonat in lingua Saxonū vernacula, **Mind Dun.** Erat vir præcipua religione Herimbertus, qui cū Carolū latere non posset, dignus est habitus, quem primū præficeret Ecclesiæ Mindensi Episcopum. Adiecit illi ministeriales non paucos, nec paruos: vt haberet Ecclesia defensores suos. Illi verò, quia ex imo gradu in nobilitate excreuerant, vt partim Comites, partim Duces fierent, spreuisse matrem videntur. Ornata autem est Ecclesia iam tum ab initio multis sanctorum reliquiis, Feliciani, Fulginatis Episcopi & martyris, Theodori Episcopi, Carophori, & Habundi martyrum, Profecit autem Ecclesia tam in spiritalibus, quàm temporalibus sub hoc Pontifice: agente nouitio feruore in populo recens conuerso. Instante nihilominus bono Pontifice, qui frugem diuini verbi curauit in populo multiplicari.

De quodam Hebræo, qui sub diuinis mysteriis per S. Basilium celebratis, vidit Episcopum infanem pariri, eius que miraculi occasione conuersus est. S. Amphilochius Episcopus & Guimundus in vita S. Baslij Episcopi, qui vixit anno 370.

CAP. VI.

Diuinum ministerium Basilio agente, Hebræus

bræus quidam se, tanquam Christianus, populo commiscuit, officij mysterium & muneris explorare volens, vidit per manus Basilij infantem partiri. Et sacram communionem accipientibus omnibus, venit & ipse Hebræus, dataque est ei hostia, vera caro facta, inde accessit ad calicem sanguine repletum, & ipsius particeps factus est, atque de vtriusq; seruans reliquia, abiensque in domum suam, ostendit vxori suæ ad confirmationem dictorum, narrauitque quæ suis oculis viderat, credens ergo verè, quod horribilia & admirabilia essent Christianorum mysteria, in crastinum venit ad Basiliam, postulans sine dilatione accipere, quod in Christo est signaculum. Basilius autem non differens, baptizauit eum cum omni domo sua.

De quodam rustico, corpus Dominicum apud aluearium ex ore esflante, quod ab apibus collectum in puerile speciem commutatam est. Ex vita Petri Cluniacensis abbatis, lib. 1. de miraculis cap. 1.

CAP. VII.

ERat in Aruernico territorio rusticus quidam, habens aluearia, in quibus examina apum melleam dulcedinem fauorum conficere solent. Quas iam dictus rusticus aut euolare, aut emori, aut aliquo casu sibi deperire pertimescens, vsus prauo sortilegorum consilio, qui diabolica oratione, etiam de beneficiis
Dei